

# Cum Critice Pagii.

5

CHRISTI  
500.

SYMMACHI PAP.  
2.

ANASTASII IMP. IO.  
THEODORICI REG. 8.

Romanus Pontif. nullum supra se Judicem habet.

in hoc titulo falsitatis incesso; diu mendacis adherentia verba non arguo: Dico tamen, latonem juris diffinitionis suae, nisi velit, terminis non includi: & nisi Princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud, quod dederit, jus vocatur. Lex probitatis, & mentis est, quae hominem viventem, sine lege castigat: proprie moribus impendit, quia \* necessitati non debet disciplinam. Aliorum forte hominum causas Deus voluit per homines terminare, sed sedis istius Praesulis suo sine quaestione reservavit arbitrio: Voluit B. Petri successores Caelo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini involatam exhibere conscientiam. Nolite timere eas animas de inquisitione non habere formidinem, quas Deus praeter ceteris suo reservavit examini. Dicat forsitan: Omnium animarum talis erit \* in illa disceptione conditio. Replicabo uni dictum: (a) Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: & quaecumque solveris super terram, erant soluta, & in Caelis. Et rursum Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem sedis ejus sanctam, toto Orbe venerabilem: dum illi \* quicquid Fidelium est, ubique submittitur, dum totius Orbis caput esse designatur: de qua mihi videtur dictum per Prophetam (b): Si hec humiliatur, ad cuius confugietis auxilium? & ubi relinquitis gloriam vestram? Et post nonnulla: Nolite Symmachum Papam pressuris vestris juvare: Si reus est, mihi credite, cum cessaverit humane impugnationis ministerium, divinum mox succedet arbitrium, &c. Haec & alia plura aureis notanda signis Ennodius adversus schismaticos, qui ausi essent Visitatorem postulare a Rege contra Symmachum Romanum Pontificem. Sed rem gestam ordine prosequamur.

\* quam.

\* erat.

(a) Matt. 16.

\* illic.

(b) Isai. 10.

Cum qui essent Romae Catholici, & tuerentur causam legitimi Ecclesiae Romanae Pontificis, rei indignitatem cum iniquitate conjunctam exhorrescerent, missum nempe contra Symmachum a Rege Visitatorem, eundemque parti schismaticorum addictum: apud absentem adhuc Regem egere, rogantes, ut fineret res Romanae Ecclesiae more majorum absque ignominia nota tractari. Annuit iis Rex Theodoricus: idemque considerans haud fore Synodum absque coercitione securam, turgescens odio adversarii; praesentiam suam dilatam, haecenus, opportuno tempore Urbi civili bello periclitanti exhibere, dignum necessariumque esse putavit. Sic igitur (ut vidimus ex Cassiodoro) diu expectatus, hoc anno tandem in Urbem se contulit, concilians sibi Regia munificentia populum atque Senatum. Quo autem exceptus honore, quantalibet gloria comitatus, & a Senatu populoque Romano obsequiis frequentatus fuerit, ex his, quae in rebus gestis S. Fulgentii Episcopi Ruspensis in Africa leguntur, ex parte saltem aliqua intelligere possumus.

VIII. Causa Theodorici adventus in urbem.

Accidit enim hoc ipso anno, quo Theodoricus Romam venit, ut etiam S. Fulgentius visitaturus sacra limina Apostolorum, ex Sicilia navigaret in Urbem, repereritque novi Regis adventu populum exultantem, excipientemque magna pompa ipsum Principem: haec autem in rebus gestis ipsius quam fidelissime scriptis ita narratur (c): Occasione igitur navigis felicioris inventa Romam venit, & auctorum secularium consono semper ore laudatam, caputque mundi veraciter appellatam, festinus ingreditur Civitatem. Fuit autem tunc in Urbe maximum gaudium, Theodorici Regis praesentia Romanis Senatus, & populi letificante conventus. Unde contigit, ut B. Fulgentius, cum Mun-

IX. S. Fulgentii adventus Romam.

(c) Vita S. Fulgentii apud Sur. die 1. Jan.

PAGIUS

ventium Schismaticum, ut Ecclesiam turbare desineret, Nuceria Episcopum renuntiavit: Cum huiusmodi perturbatio, inquit Theodorus Lector lib. 2. tres continuos annos in Urbe Roma perseverasset (ab anno sc. CDXCVIII. quo Symmachus Pontificatum adeptus est, ad praesentem) Theodoricus Afer, qui tum Roma regnabat, quamvis scita esset Arianus, collecta tamen Synodo, Symmacho, quidem Episcopatum Urbis Roma confirmavit: Laurentium vero eujusdam Urbis, qua Nuceria dicitur, Episcopum constituit: Laurentius tamen haud quaquam quietus, sed Episcopatum Urbis Roma adhuc ambire non desistit. Quam ob causam eum deponi, & in exilium mitti curavit Symmachus. Atque hoc modo seditio confopita est. Ubi, quae post secundam hanc Synodum contigere, uno tenore refert Theodorus, cuius verba exscript Theophanes ad annum Incarnat. secundum Alex CDXCIII. Kalend. Septemb. huius Christi anni inchoatum. Idem habet Nicephorus lib. 16. cap. 35. In textu tamen Graeco Theodori non dicitur perturb-

bationem tres continuos annos durasse, sed tantum fuisse triennio inaurum, id est, trium annorum, qui etiam utrimque incompleti intelligendi. Quare locus ille male a Valesio in Latinum versus. Neque enim toto illo triennio Laurentius turbas cievit, cum Synodo priori Romanae, anno 499. coactae, his verbis subscripserit: Caelius Laurentius Archiepiscopus tituli Sanctae Praxedis his subscripsi, & consensu Synodalibus constitutus, atque in hac me praestor manere sententia. De hac secunda Synodo Romana haec Anastasius Bibliothecarius habet: Eodem tempore Patre Symmachus congregavit Synodum, & constituit Laurentium in Nucerna Civitate Episcopum intuitu misericordiae. Quia vero Anastasius annum rei gestae non memorat, Baronius anno CDXCIX. num. X. laudatis his Anastasii verbis dicit, Laurentium in prima Synodo Romana Nuceria creatum esse Episcopum. Verum factum id post triennium a quo Symmachus Pontificatum inivit, ut ex Theodoro Lectore, Theophane, & Nicephoro citatis mox ostendi. Dicit

IX. Respondetur ad varias.